

tamen distincta ratio, quia Angeli, etsi non sint justificati per Christum, sunt tamen ministri redemptionis, dicente Paulo ad Hebræos 1: *Quod omnes sunt administratores Christi missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*: unde pertinet ad Christum tribuere Angelis propter ministerium. At vero Adamus in statu innocentiae, neque erat redemptus, neque minister redemptionis, unde neque ut redempto vitam, neque ut ministro mercedem, neque accidentalia gaudia debuit tribuere.

ARTICULUS III.

Utrum Christus ut homo, ita sit Angelorum caput, quod in eos gratiam, et gloriam influat?

I. Præsupponimus tamquam minus dubitabile, Christum esse caput Angelorum, et inquirimus dubium grave de modo, quo est caput; et quidem hoc præsuppositum communiter recipitur ab scholasticis, licet non ab omnibus; et quia videtur ex locis Scripturæ deduci sanctorum intelligentia, aliqui non solum veritatem ejus adstruunt, sed etiam oppositum censurant, sicut magister Medina, qui existimat temerarium esse negare Christum esse Angelorum caput. Ejus tamen censuram rigidam putat Asturicensis pagina 804, faciliusque asserit se admissurum, quod oppositum sit error, licet ab illis auctoribus materialiter, et ex aliqua ignorantia admissus, quamquam sit temerarium, id est, sine aliquo fundamento a gravibus auctoribus asseratur; existimat tamen oppositam solum esse probabilior sententiam, et absque dubio veram. Alvarez autem disp. xxxix, non solum veram, sed conformem sacris litteris, et Suarez

disput. xxiii, sect. ii, propter quædam testimonia Chrysostomi, et Theophylacti, dicit non esse de fide, sed multo probabiliorem: et idem existimat Pater Vazquez hic disp. xlvi, cap. iii.

II. Nihilominus omnino dicendum existimo, quod qui negaret absolute Christum esse caput Angelorum, excludendo omnem rationem capitis, etiam quæ salvatur per externam tantum gubernationem secundum auctoritatem dominativam in Angelos, omnino esset contrarius Scripturæ, et sensui communi Ecclesiæ. Solum potest esse opinio, an debeat dici caput secundum alias speciales conditiones, scilicet quantum ad influxum interiorem instrumentalem, vel moralem, et secundum quod proprietas capitis requirit, quod sit ejusdem naturæ cum eis. Circa has enim proprietates potest admitti varietas opinionum, quomodo Christus dicendus sit caput Angelorum.

III. Quantum vero ad illam rationem magis communem, quæ constituit rationem capitis saltem secundum exterioriorem gubernationem, et quæ sufficit ut absolute, et sine addito Christus dicatur caput Angelorum, sicut absolute, et sine addito papa dicitur caput Ecclesiæ, nullo modo est admittenda aliqua opinio, sed prorsus esset error id negare. Etenim apertissime Scriptura dicit Christum esse caput omnis Principatus, et Potestatis ad Colos. ii. Et loquitur Apostolus de Christo ut homo est; dicit enim: *Quod in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti, qui est caput omnis Principatus, et Potestatis*. Manifestum est autem, quod plenitudo divinitatis non habitat corporaliter in Christo, secundum divinam naturam, sed secundum humanam; unde, et subdit Apostolus: *In quo, et resurrexistis per fidem operationis*

Dei, qui suscitavit illum a mortuis: resurrectio autem solum convenit Christo, ut homo est. Similiter Ecclesia absolute nominat Christum regem Angelorum, et Dominum, quod sine aliqua capitis dignitate, saltem exterioris gubernationis, intelligi nequit.

IV. Et iterum Angeli dicuntur ministri Christi, etiam ut homo est, Matthæi iv: *Accesserunt Angeli et ministrabant ei*: et ad Hebr. i: *Omnes sunt administratores Spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*: et Matth. xxiv: *Mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna*: ergo si Angeli sunt ministri Christi, et ab eo mittuntur tamquam a Domino, bene, et proprie debet dici illorum caput, saltem eo modo, quo princeps reipublicæ dicitur caput illius. Atque negare ita absolute, quod Christus sit caput Angelorum, sumpto capite in tota sua lata significatione, ut etiam dicitur de capite exteriori gubernante, sine dubio est apertus error, cum hoc sit negare Christum esse superiorem principem, ac Dominum Angelorum, et totius Ecclesiæ triumphantis, quæ ex hominibus, et Angelis constat: unde in illis ad Ephes. i: *Suscitans Christum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in cælestibus super omnem Potestatem, et Principatum, et Virtutem, et Denominationem, et omne quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed in futuro*: non tantum voluit Paulus significare exaltationem Christi super omnem angelicam creaturam, ut dicit Vazquez loco citato, sed etiam dominationem, et imperium super Angelos, quod pertinet ad rationem capitis gubernantis.

V. Sic etiam S. Chrysostomus homilia iii in epistolam ad Ephesios quasi contradictoriis verbis Vazquez, sic inquit: « Non utrumque

efficit superiorem, quasi præficiens istis per comparisonem, verum quasi dominum servis ipsum cunctis anteponeus. Ecce ut homini Christo omnis creata virtus, quasi ancilla Domino subjecta est, etc. » ubi Chrysostomus apertissime loquitur non solum de elevatione, et exaltatione Christi super Angelos, sed etiam de dominio, et principatu super eos; atque adeo rationem capitis, quæ pure denotat dominationem, et supremum principatum in Angelos, nullus negat.

VI. Circa modum autem, aut perfectiones alias capitis, quæ pertinent ad similitudinem naturæ cum membris, invenitur aliquando, quod etiam aliqui ex patribus negant, vel saltem non affirmant, Christum ut hominem esse caput Angelorum, scilicet propter dissimilitudinem naturæ, ratione cujus non dicitur caput eorum cum ea speciali ratione, qua dicitur caput hominum. Et sic intelligendus est Chrysostomus homilia i ad Ephesios, et Theophylactus, qui eum sequitur ibidem: et omnino relegandus est pater Vazquez in loco citato, dicens Chrysostomum, et Theophylactum non esse imitandos, quia eorum ratio parum habet momenti; oportet enim sanctorum patrum intelligentiam cum omni reverentia explicare, præsertim cum ex ipso eorum contextu aperte appareat, in quo sensu negent Christum Dominum esse caput, et in quo sensu concedant.

QUOMODO CHRISTUS MERUIT ANGELIS.

VII. Dubium vero est satis controversum inter scholasticos, an Christus Dominus, ita sit Angelorum caput secundum interiorem influxum, ut etiam gratiam, et gloriam essentialem in eos influat. Nam aliqui accidentalem gloriam influere,

saltem quoad illuminationes, et gaudia accidentaliter affirmant; et resolutio hujus quæstionis multum dependet ex illa controversia de prædestinatione Christi, quam tractavimus supra in materia de incarnatione. Vide disputationem tertiam, per totam, an Christus fuerit prædestinatus ante prævisionem peccati: et aliqua ad istum locum remissimus.

VIII. Est ergo celebris sententia aliquorum theologorum Angelos habuisse gloriam et gratiam ex meritis Christi. Pro hac sententia plures citat Asturicensis pagina 846, eamque sequitur pater Suarez infra quæst. XIX, disput. XLI, sect. I; Cabrera hic disputatione unica; Carthagena libro de prædestinatione, et reprobatione Angelorum, discursu VI; et alii quam plures, qui ab ipso citantur.

IX. Fundamentum præcipuum reducitur ad duo capita. Primum, ex auctoritatibus: secundum ex ratione. Auctoritates desumunt partim ex generalibus Scripturæ testimoniis, quæ ad meritum Christi referunt etiam gratiam, et restorationem Angelorum, et generaliter omnium, ut cum dicitur ad Ephesios primo, proposuisse Deum in Christo: *Instaurare omnia, quæ in cælis sunt, et quæ in terra*: et Joannis XIV: *Nemo venit ad Patrem nisi per me*: et Apocalyp. XII dicitur de Angelis: *Quod vicerunt eum* (id est, diabolum) *per sanguinem Agni*, et similia multa, quæ indicant non esse datam gratiam, sive in cælo, sive in terra, nisi per Christum.

X. Partim autem specialiter videntur loqui aliqua testimonia, ex quibus per consequentiam hæc veritas deducitur, ut Romanorum V dicitur: *Si enim in unius delicto mortui sunt multi, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius*

hominis Jesu Christi in plures abundavit: ubi Apostolus loquitur de Christo ut homo est, et inde deducitur hoc argumentum: Gratia hominis Christi abundavit in plures, quam delictum unius Adam, sed non in plures homines; ergo in plures Angelos. Consequentia videtur clara; nam præter homines non sunt plures, qui recipiant gratiam, nisi Angeli. Major sunt verba Apostoli: minor evidens est, quia si solum intelligamus de hominibus, constat plures esse infectos peccato Adami, quam redemptos de facto per Christum quoad efficaciam; quantum ad sufficientiam vero tam in multos potest influere Adam si generentur ex illo, quam Christus reficere si generentur per illum.

XI. Item ad Hebræos II dicitur: *Quod decebat eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare*: ergo supponit Apostolus, quod ante passionem Christus multos filios in gloriam adduxerat, sed non homines, quia non erant consecuti gloriam; ergo Angelos.

XII. Confirmatur auctoritate D. Bernardi sermone XXII super Cantica ubi inquit: « At Angelis, quomodo redemptio fuerit non video, neque enim auctoritas Scripturarum uspiam assentire videtur eos aliquando, aut peccato stetisse captivos, aut morti obnoxios, ut necessariam haberent redemptionem. Audi breviter, qui erexit hominem lapsum dedit stanti Angelo ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens, et hac ratione fuit æque utriusque redemptio solvens illum, et servans istum. » Sic Bernardus, et similia habet Fulgentius lib. II ad Thrasimundum capite tertio.

XIII. Sed præ omnibus Hieronymus super caput primum ad Ephe-

sios in magnis commentariis, explicans quomodo subiecit Deus omnia pedibus Christi, sic inquit de Angelis: « Quod absque peccato nullus sit, et sidera ipsa non sint munda coram Deo, omnisque creatura paveat creatoris adventum: unde et crux Salvatoris non solum ea, quæ in terra, sed etiam ea, quæ in cælis erant, purgasse perhibetur: » ergo passio Christi, juxta Hieronymum tribuit Angelis gratiam, alioquin virtute illius non purgarentur.

XIV. Denique S. Thomas supra caput primum Joannis lectione X, dicit: « Quod etiam omnes Angeli de plenitudine ejus acceperunt, » ut articulo præcedenti retulimus; et quæstione septima, præcedenti articulo nono, dicit: « Quod plenitudo gratiæ fuit data Christo, ut universali principio in genere habentium gratiam: » ergo comprehendit etiam Angelos, quia etiam habent gratiam.

XV. Secundum fundamentum est ex ratione, et est præcipua duplex ratio. Prima, quia Christus est primus omnium prædestinatorum, juxta illud: *In capite libri scriptum est de me*: et iterum: *Quod Christus est primogenitus omnis creaturæ*, et sic prædestinatus est ante Angelos, tamquam eorum finis: ergo habuit prædestinatio Christi sufficientem præcedentiam respectu prædestinationis Angelorum, ut ex meritis ejus prævisis causaretur. Habuit etiam sufficientem efficaciam, utpote infinitam; ergo non est ratio, quare Christo ex vi prædestinationis ejus denegetur influentia in gratiam Angelorum. Præsertim cum ad id urgeat satis magna congruentia; tum, quia ad excellentiam, et perfectionem capitis pertinet, ut influat vitam in omnia membra; cum autem Christus sit caput Angelorum, magis congruum, et decens est, quod etiam in Angelos influat vitam, quæ est per gratiam, et

etiam gloriam essentialem, quia alias argueretur defectus in perfectione Christi, quasi non potentis influere in omnes; tum, quia hoc est conformius naturis rerum, in quibus: Primum in unoquoque genere est causa cæterorum. Cum autem Christus sit primus in genere habentium gratiam, debet esse causa gratiæ cæterorum, qui illam habent, et consequenter Angelorum.

XVI. Secunda ratio, quia Angeli in via habuerunt fidem Christi venturi, si quidem eis in Verbo correspondet cognitio clara mysterii incarnationis, et certum est, quod de illo habent cognitionem matutinam, de quo aliquando habuerunt vespertinam: ergo si Christus in via illis revelatus est, ideo fuit ut in eum crederent, et tamquam superiorem adorarent, et ei ut fini, et capiti subjicerentur, et similiter spem in eo ponerent, et ex meritis ejus sperarent assequi gloriam: ergo ita assecuti sunt illam.

XVII. Ultimo, quia si Christus solum accidentaliter influit in Angelos, scilicet dona accidentaliter, solum accidentaliter, et secundum quid erit caput Angelorum, et non simpliciter, contra testimonia sacre Scripturæ superius allata, in quibus absolute, et sine addito dicitur caput Angelorum. Nec bene explicatur quomodo prædestinatio Angelorum subjiciatur prædestinationi Christi, ut consummanda, et perficienda per ipsum, etiam accidentaliter, si secundum substantiam ab initio non fuit subjecta Christo.

XVIII. Sententiam hanc ita aliqui moderantur, quod asserant Angelos suscepisse gloriam, et gratiam duplici titulo, scilicet ex divina largitate, et iterum ex meritis Christi, et sub hoc secundo titulo subordinata fuit gloria essentialis Angelo-

rum Christo; sub primo vero titulo præcessit ejus prædestinationem. Quæ sententia eo tendit ut defendat Angelorum gloriam esse per Christum, etiam præsupposita sententia D. Thomæ, quod Christus non veniret Adamo non peccante: adhuc enim hæc sententia conatur salvare, quod Angeli ratione illius duplicis tituli, quo gratiam obtinuerunt, et pertinebant ad Christum ut prædestinatum post lapsum hominis, et lapsum Angelorum, et ante prædestinationem Christi jam habebant gratiam et gloriam essentialem, ratione cujus præsupponebatur status gratiæ, et gloriæ ante lapsum hominis, et ante Christum, et ante Christi prædestinationem. Ita insinuat Asturicensis pagina 848 recitans theologorum opinionem circa primam sententiam.

XIX. Nihilominus supposita sententia S. Thomæ, quam docuimus, et late explicavimus in materia de incarnatione, disputatione tertia, per totam, quod ex vi præsentis decreti, ejusque efficacitæ Christus non veniret, nisi Adamus peccaret (quod articulo præcedenti ostendimus, omne meritum Christi de facto fuisse consummatum passione sua et morte) omnino tenendum est Angelos non habuisse gratiam, et gloriam ex meritis Christi, neque ex ejus passione. Quæ sententia citra dubium est D. Thomæ, et communiter a Thomistis defenditur, ut videri potest in magistro Vincentio loco citato; Alvarez hic disput. XL; Medina hic; Vazquez disp. XLIX, et aliis.

XX. Quod vero sit expressa sententia S. Thomæ patet ex locis, qui pro opposita sententia citantur; licet enim aliquando loquatur de Angelis, non tamen expresse, et in individuo loquitur de gratia, et gloria essentiali. In locis vero ubi in singulari, et expresse loquitur

de gratia, et gloria essentiali, expresse etiam negat Christum meruisse illam Angelis; ergo magis standum est his locis D. Thomæ, quam primis.

XXI. Hoc autem manifestum est, nam in quæstione xxix de veritate, art. vii ad quintum inquit: « Oportet, quod ei pro quo quis meretur aliquid, sit eorum, quæ sub merito cadunt: Angeli autem non sunt viatores quantum ad præmium essentiali, et ideo quantum ad hoc nihil eis meruit: valet autem eis meritum Christi quantum ad præmium accidentale, quia quantum ad hoc sunt aliquo modo viatores. »

XXII. Similiter in iii, distinct xiii, quæst. i, artic. ii, quæstiunc. ii, inquit: « Non influit Angelis removendo prohibens, aut merendo gratiam, aut orando pro eis, quia jam beati sunt, sed in his, quæ ad actus hierarchicos pertinent, in quantum unus Angelus illuminat alium, purgat, et perficit. »

XXIII. Magister Cabrera hic disputatione unica, numero xxxiii, non invenit quid respondeat ad hæc loca, nisi D. Thomam mutasse sententiam: sed ubi eam mutaverit, ego non invenio. Nam in locis supra allatis, quæ etiam affert Cabrera, non loquitur specialiter de merito, quantum ad gloriam essentiali, sed in genere loquitur, quod Christus sit universale principium in genere habentium gratiam; et quod habet efficientiam omnium gratiarum in omnibus intellectuabilibus creaturis. Constat autem, quod sub hac efficientia, quæ apud D. Thomam physica est, non comprehenditur gratia, et gloria Angelorum, quia illa physice efficienter non fuit a Christo, ut homine, quia quando ipsi fuerunt glorificati, nondum Christi humanitas existeret in illo: nunquam autem expresse D. Thomas dixit Angelos participare gra-

tiam, et gloriam essentiali a Christo, et tamen in locis a nobis allatis expresse id negat; ergo potius standum est locis negativis, quam affirmativis, præsertim cum illa clare possint exponi de gratia accidentali.

XXIV. Imo Asturicensis per alium extremum existimat mutasse D. Thomam sententiam, quam tenuerat supra caput primum Joannis, quod tamen non cogimur dicere, ut patet ex dicta explicatione, quæ jvatur ex D. Thoma iii part. quæst. lxx, artic. ix, ubi dicit: « Quod Angeli subsunt judicio Christi, quantum ad præmium essentiali, et damnationem æternam; sed hoc, inquit, factum est per Christum in quantum est Verbum Dei a principio mundi. » Si autem ex influxu humanæ naturæ Christi haberent præmium essentiali, non deberet negare D. Thomas subjici Angelos quantum ad præmium essentiali judicio Christi ut homo est, quantumvis præcesserit incarnationem. Sic enim antiqui patres, licet præcesserint incarnationem, quia tamen ex meritis Christi justificati sunt, subsunt judicio Christi humano, et non Angeli.

XXV. Fundamentum hujus sententiæ partim deducitur ab auctoritate, partim a ratione. Ex auctoritate efficax probatio sumitur ex illo vulgari loco ad Hebræos secundo, ubi Apostolus probans præcedentiam Christi, et excellentiam super Angelos, sic inquit: *Qui enim sanctificat, et qui sanctificatur ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: et iterum: Ego ero fidens in eum: et iterum: Ecce ego, et pueri mei, quos mihi dedit Deus; quia ergo pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem.* Quem lo-

cum optime Asturicensis, et Vazquez relati ponderant, et formatur ex illo argumentum in hunc modum.

XXVI. Omnes, qui sanctificantur a Christo vocantur pueri, et fratres ejus, sed Angeli non possunt vocari pueri, et fratres Christi; ergo non sanctificantur ab ipso. Consequentia est bona, utpote in secundo modo secundæ figuræ: major est propositio posita ab opposito, dum dicit: « Quod omnes, qui sanctificantur, et ipse, qui sanctificat sunt ex uno, et propter hanc causam non confunditur fratres eos vocare: » ergo omnes, qui sanctificantur vocat Christus fratres suos. Minor autem propositio sic probatur ex eodem Apostolo, loco dicto. Illi dicuntur pueri, et fratres ab Apostolo, qui communicaverunt carni et sanguini; sed Angeli non communicaverunt carni, et sanguini, cum sint puri spiritus; ergo non vocantur pueri, et fratres Christi; ergo neque sunt sanctificati per Christum.

XXVII. Nec solvitur argumentum dicendo quod quando Apostolus, inquit: *Qui sanctificat, et sanctificantur ex uno omnes*, intelligitur ex uno Adamo parente, ut graves auctores, et inter eos D. Thomas exponunt, et sic sub illa universali omnes, etiam Angeli includuntur, quia etiam sunt ex Deo.

XXVIII. Non inquam solvitur argumentum, quia illius vis non est in hoc, quod sit ex uno homine, vel ex uno Deo; sed ex eo quod omnes sanctificatos vocat fratres pueros; illos autem dicit pueros, qui communicaverunt carni et sanguini.

XXIX. Si dicas Paulum non loqui de omnibus sanctificatis, nec de omni modo sanctificationis, sed de his, qui sanctificati sunt per redemptionem contra est, quia hoc voluntarie omnino dicitur, cum Apostolus absolute loquatur, quando di-